

quæst. 2, num. 145; Platell., *De peccatis*, n. 244; Lessius, l. iv, cap. 3, num. 105; Laymann, lib. iii, sect. 4, num. 17; Vasquez, 1-2, disp. 115, cap. 3; Navarrus, in *Manual*, cap. 16, num. 7 et sequent., cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 9, dist. 1, quæst. 5, num. 55; Busembaum, lib. iii, part. 1, tract. 4, cap. 2, dub. 4, num. 4; La Croix, ibidem, num. 932, ubi dicit hanc esse communiorem sententiam. Sporer, tom. I, tract. 1, cap. 6, num. 34, ubi hanc appellat communiorem doctrinam, et sic alii plures contra Sylvium. Azorium, Henno, *l. cit.*, quæst. 7, art. 3, concl. 1 et 2, et alios. *Vid. verb. DELECTATIO MOROSA*, a n. 15 ad 23.

(40. Pollutio in somnis involuntarie secuta non est peccatum; quia est effectus mere naturalis. *Communis*. (41. Potest tamen pollutio in somnis esse peccatum si oriatur ex causa præterita illicita aut otiosa proxime ordinata ad venerem, ut sunt tactus, aspectus impudici, lectio, locutio aut auditio turpium et hujusmodi; quia tunc talis pollutio, quamvis non sit directe intenta, si fuit prævisa, est voluntaria in causa et indirecte volita. (42. Si autem pollutio oriatur ex causa tantum remota et per accidens ad ipsam concurrente ut est esus aut potus calidorum, nimia comestio aut potatio, equitatio et hujusmodi, tunc non est peccatum mortale, quia in talem rem seu causam remotam, non ordinatam de se ad venerem, consentiens, non ideo censetur velle effectum seu pollutionem, sed potius per accidens eam patitur. Lessius, *l. c.*, num. 90 et 100; Filiucius, tract. 30, num. 152; Sanchez, *loc. cit.*; Busembaum, *l. cit.*, num. 6, et alii passim.

(43. Pollutionem omnino involuntariam sponte sua naturaliter eventientem aut in somnis jam coeptam non impediens nec reprimens non peccat, quia id non est ipsam procurare, sed pati ut semen effluat, quod alias corruptum sanitatem læderet. Unde in tali casu dummodo absit periculum consensus in delectationem seu complacentiam potest sanitatis causa sinere, ut natura sponte sua se exoneret. Clericatus, cap. 73, n. 4; Mastrius, disput. 11, num. 129; Sanchez, *De matrimonio*, lib. IX, disput. 45, num. 27; Busembaum, *l. c.*, num. 3; Felix Potestas, tom. I, part. II, num. 2168, et alii. Imo Sanchez, *l. c.*, num. 28, cum aliis idem admittit etiamsi pollutio orta esset prius ex culpa, dummodo de ea doleat, et consensum ulteriorem abstrahat.

(44. Facturus actionem aliquam necessariam, seu licitam, et honestam, et prævidens inde naturaliter secuturam pollutionem, nullo tamen modo a se volitam, et intentam, non tenetur abstinere a tali actione, dummodo absit periculum consensus in delectationem. Clericatus, cap. 73, n. 6; Tamburinus, lib. vii *Decalog.*, cap. 7, § 2; Laymann, *loc. cit.*, n. 16; Mendo, *verb. Pollutio*, Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 2, 166; Busembaum, *loc. cit.*, num. 3, cum Sanchez, Filiuc., Navarro, ibi citatis, Reiffenstuel, *loc. cit.*,

num. 53, testans de communi. Et ratio est, quia persequenti suum jus non imputatur effectus per accidens, et præter intentionem et consensum ipsius secutus; Unde quamvis quis prævideat secuturam pollutionem ex auditione confessionum mulierum, ex lectione casuum conscientie, ex necessario tactu sui, vel alterius, et hujusmodi, dummodo absit periculum consensus in delectationem, potest nihilominus licite audire confessiones mulierum, legere casus conscientie, tangere se, et alios, ex necessitate, et hujusmodi; secus autem si adesset periculum consensus in delectationem, quia tunc cognoscens quis ex simili occasione sæpius fuisse mortaliter lapsus, teneretur a similibus actionibus et officiis, quantumvis licitis et honestis abstinere, ut advertunt citati doctores, et alii. Sanchez, *l. c.*, n. 4.

(45. Polluens se cum imaginatione, seu desiderio peccandi cum persona soluta, conjugata, voto castitatis obstricta, consanguinea, vel affine, debet in confessione circumstantiam personæ exprimere, quia juxta qualitatem personæ illicite concupitæ, intervenit in tali pollutione alia distincta species malitiæ, et turpitudinis. *Communis*.

(46. Inordinatus concubitus, seu indebitus concumbendi modus, est actus peccaminosus contra naturam, quo vir concumbit cum femina modo inordinato, et indebito, ita ut impediatur generatio. Sic Filiucius, tract. 30, cap. 8, num. 161, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 64, et alii. Et notanter dicitur, *ita ut impediatur generatio*, quia alioquin in rigore, non esset peccatum contra naturam.

(47. Unde conjuges gravissime peccant contra naturam, si voluntarie concumbant modo tali, quo certo impediatur generatio, quia generationem impedire gravissime repugnat bono prolis, et naturæ, et ideo intrinsece malum est, et nullo casu potest cohonestari. *Communis*. (48. Sic mortaliter peccant conjuges, si se retrahant in actu seminationis, ne proles concipiatur. *Communis*, propter dictam rationem.

(49. Conjuges, qui in copula vas naturale servantes, variant situm et modum coeundi ordinarium, si id faciant sine seminis perdendi periculo, et ex aliqua justa causa, quia, verbi gratia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio propter pinguedinem aliter fieri non patitur, tunc excusantur a peccato. Si vero id faciant sine justa causa, ordinarie peccant saltem venialiter. Et si id faciant cum seminis perdendi periculo, peccant graviter. Hinc conjuges sic indebite et inordinate congregantes sine justa causa, sunt graviter reprehendendi. Sic doctores communiter.

(50. Sodomia, sic dicta a Sodoma civitate, quæ propter nefandum hoc vitium, quod ibi, et in finitimis civitatibus plurimum grassabatur, una cum ipsis igne cœlitus delapso fuit concremata; (51. *Genesis* cap. xix, est coitus libidinosus cum persona indebita, vel si cum persona debita in vase indebito. Sic in re communis. (52. Sodomia est duplex, una

perfecta, altera imperfecta; Sodomia perfecta est concubitus masculi cum masculino, aut femine cum femina. Sic communior doctorum cum D. Th., 2-2, quæst. 154, art. 11; Sporer, *Theolog. sacramentali*, part. iv, cap. 3, sect. 6, num. 626 et 627; Busembaum, *loc. cit.*, dub. 3, num. 14; Henno, *loc. cit.*, qu. 6, artic. 4; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 16, nu. 83, et aliis arg. cap. *Usus* 14, caus. 32, quæst. 6, contra aliquos volentes concubitus femine cum femina esse sodomiam imperfectam. Sodomia imperfecta est concubitus viri cum femina extra vas naturale. Sic doctores citati, et alii. (53. Sodomia perfecta differt specie ab imperfecta, et ideo est in confessione specificanda, quia sodomia perfecta fit cum affectu ad sexum indebitum: Imperfecta vero fit cum affectu quidem ad sexum debitum, sed in vase indebito.

(54. Sodomia perfecta committitur inter masculos, sive coeant inter se in vase præpostero, sive (quod horrendum est) in ore; et inter feminas committitur, sive utantur vase anteriori, sive posteriori, cum secundum plurimos femine inter se ita misceri possint, et ita invicem exardescere, ut ementitis virilibus congressibus, instrumentis quibusdam diabolicis semen intra vas, sive anterius, sive posterius recipiatur, et sic habeatur sodomia proprie dicta, quæ præsertim consistit in affectu ad sexum indebitum.

(55. Ut sodomia sit casus reservatus (nisi aliter in reservatione ab ordinario exprimat) requiritur, quod actus sit completus cum effusione seminis intra vas, quæ deficiente sive in masculis, sive in feminis, non est casus reservatus, quia non censetur sodomia completa et consummata. Sic doctores citati, et alii.

(56. Sodomia sive perfecta, sive imperfecta, ultra propriam malitiam, habet aliam specie distinctam in confessione explicandam, si personæ copulatæ sint vel Deo sacræ, vel conjugatæ, vel consanguineæ, seu affines; tunc enim committitur etiam vel sacrilegium, vel adulterium, vel incestus; et quidem aliquando duplex sacrilegium, vel adulterium, si utraque persona est Deo sacræ, vel conjugatæ. Sic doctores citati, et alii passim.

(57. Probabilius est in confessione peccati sodomie adesse obligationem exprimentem, an quis fuerit agens, vel patiens, quia agens se polluit, non sic patiens. Leander *De penitentia*, disput. 8, § 3, qu. 6; Lugo, *De penitentia*, disput. 16, n. 143; Mendo, disputat. 3, n. 188; Henno, *loc. cit.*, art. 4, conclus. 1; La Croix, lib. vi, par. II, n. 1080, cum aliis ibi citatis contra plures id negantes cum Diana pluribus in locis, et præsertim p. I, tract. 1, resol. 11, et tract. 3, resol. 4, et in *Compendio*, verb. *Sodomia*, n. 2.

(58. Complexus duorum masculorum se carnaliter per modum copulæ commiscen-tium cum affectu ad eundem masculinum sexum, sicuti et complexus duarum femina-

rum similiter se carnaliter commiscen-tium cum affectu ad eundem femineum sexum cum effusione seminis, licet ipsum semen in nullo vase emittatur, sed in membris effluat, reducitur ad sodomiam, estque hæc circumstantia in confessione explicanda, nec sufficit dicere se exercuisse molli-tiem, quia hæc tendit ad explendam libidinem sine speciali affectu ad indebitum sexum, Tamburinus, lib. vii, cap. 7, § 2; La Croix *loc. cit.*, n. 1082, et alii plures contra alios volentes, quod talis complexus sit sola molli-ties. (59. Non reduceretur tamen ad peccatum sodomie si mas se pollueret inter coxendices, brachia, seu alias partes femine extra quodlibet vas, quia sic nec haberet affectum ad sexum indebitum, nec ad indebitum vas; adeoque sufficeret in confessione explicare se polluisse cum tactibus impudicis, seu consortio femine conjugatæ, vel Deo sacræ, vel consanguineæ, aut affinis. Sic passim doctores.

(60. Rei hujus nefandi et horrendi criminis sodomie jure civili puniuntur pœna ignis, ut patet ex *Codice Theodosiano* lib. ix, tit. 7, ubi dicitur: *Hujus* (scilicet Sodomie) *scelus spectante populo, flammæ vindices expiabunt*; et idem observari mandavit Carolus quintus *Ordin. crim.*, artic. 116. Jure autem canonico laici de sodomia convicti jubentur excommunicari, cap. *Clerici* 3, De excessibus prælat., ibi: *Si Laici excommunicationi subdantur, et a cœtu fidelium penitus fiant alieni*. Insuper declarantur infames; cap. *Infames* 2, caus. 3, quæst. 7, et conceditur facultas eorum uxoribus, ut possint ab eis discedere, sicut ab adulteris: argum., cap. *Omnes* 7, caus. 31, quæst. 7. Clerici vero de sodomia convicti jure communi canonico privantur beneficio, et a statu et ordine clericali abjiciuntur: cit. cap. *Clerici* 4, De excessibus prælatorum, et ex constitutione sancti Pii quinti incipiunt. *Horrendum illud scelus*. Clerici sodomiam exercentes privantur omni privilegio clericali, officio, beneficio, et dignitate, ac degradati traduntur potestati sæculari puniendi ut laici hoc in exitio devoluti. (61. Dictas autem pœnas non incurrit, qui mulierem cognoscit sodomice, quia hæc sodomia est imperfecta; nec qui mixtus masculino non seminavit intra vas, quia non est sodomia consummata. Leges autem pœnales, nisi in ipsis aliter exprimat, afficiunt solum delictum perfectum, et consummatum; arg. cap. *Odia* 15, et cap. *In pœnis* 49, De regulis juris. (62. Nec dictæ pœnæ aliquem ligant ante iudicis sententiam criminis declaratoriam. Sic doctores communiter. (63. Hic in detestationem tanti criminis est sciendum, quod sodomie omnes mortui fuerunt in illa nocte, qua Jesus Christus natus est, ut ex multis refert Barbosa, *De officio et potestate episcopi*, part. II, allegat. 44, n. 2.

(64. Bestialitas est coitus cum brutis. Est in re communis. (65. In confitendo peccato bestialitatis non est opus dicere, cum qua specie animalis sit commissa, quia manet eadem malitia, sive fiat cum cane, ove, et

hujusmodi : malitia enim bestialitatis consistit in hoc, quod non servetur eadem species, et natura; et omnia animalia conveniunt in hac una ratione, quod non sint ejusdem speciei cum homine; Filiucius tract. 30, cap. 8, n. 161. La Croix, *loc. cit.*, n. 1083; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 59, et alii communiter. (66. Explicari tamen debet, an sit facta cum bestia mare, vel femella; et an in vase naturali, aut in præpostero, quia sunt diversæ deordinationes. Mendo distinct. 5, quæst. 25: La Croix, *l. c.*, n. 1083, et alii contra alios.

(67. Ad speciem bestialitatis reducitur coitus viri, aut femine cum dæmone succubo, vel incubo, quia licet dæmon assumat formam hominis, de facto tamen specie differt ab illo. *Communis*. (68. Hinc in coitu viri, aut mulieris cum dæmone triplex ordinarie concurrat peccatum specie distinctum in confessione exprimendum: *Primo*, scilicet peccatum bestialitatis, quia detorqueatur affectus ad non hominem. *Secundo*, peccatum superstitionis, quia est speciale peccatum contra virtutem religionis habere commercium cum maximo Dei et hominum hoste. *Tertio*, peccatum illius speciei, circa quod fertur affectus; ita ut si vir misceatur dæmoni tanquam masculo, sit peccatum sodomie; si tanquam femine liberæ, est peccatum fornicationis, si tanquam consanguineæ, aut affini, sit incestus, si tanquam conjugatæ, sit adulterium, si tanquam Deo sacræ, sit sacrilegium.

(69. Bestialitas est omnium peccatorum contra naturam gravissimum, quia congressus ille inter diversas species maxime repugnat naturæ; hinc *Glossa* interpretatur, quod de hoc scelere loqueretur Joseph. *Genes. xxxvii*, dum accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo; et *Iecitici* cap. xx, prohibetur coitus ille sub pœna mortis, et statuitur ut bestia, et bestialitatem perpetrans interficiantur. Quod et nunc eo magis servatur apud catholicos, et præsertim in Germania, et pluribus aliis regnis, et provinciis, ubi, ut refert Farinacius in *Praxi criminali*, part. v, quæst. 148, t. 16, n. 46, uterque in detestationem tanti sceleris igne concrematur; et non una semel vice hoc fuisse servatum testatur.

(70. Mollities, sodomia, et bestialitas habent malitias specie distinctas, quia licet opponantur eidem virtuti castitatis, opponuntur tamen ei secundum notabiliter diversas honestates; unde qui sodomiam, aut bestialitatem commisit, non satisfacit in confessione, eam exprimendo sub nomine *pollutionis*, dicendo se procurasse pollutionem; hinc justissime Alexander VII, die

(47) *Romani theologi notæ*. — Quoad oscula, tactus, et amplexus inter personas, præsertim diversi sexus, hæc attente notanda sunt. Primum gravi culpa non carere, si ob sensualem delectationem fiant, deinde si certum periculum sit hujusmodi delectationis, vel pravi desiderii excitandi; ita enim agentes sese periculo peccandi exponerent; qui vero periculo se exponit peccandi, revera peccat.

vigesima quarta Septembris millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, inter alias damnavit sequentem propositionem, in ordine 24: « Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem. »

(71. Impudicitia, quæ ut dictum fuit supra sub n. 2, prædictis luxuriæ speciebus accedit, nihil aliud est, quam species luxuriæ inchoatæ, seu quæ non pertingit usque ad copulam, seu seminationem, ut sunt oscula venerea, tactus et aspectus impudici, verba obscœna, scripta lasciva, turpes cantiones, representationes, et comœdiæ impuræ, et hujusmodi: et de hac impudicitia loquitur Apostolus ad Galatas v, ibi: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc., quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam quæ talia agunt, regnum Dei non consequuntur.*

(72. Unde oscula, tactus, et amplexus impudici habitii ob delectationem sensualem veneream inter personas solutas sunt peccata mortalia. *Communis*. Unde merito ab Alexandro VII, die decima octava Martii, millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, fuit inter alias proscripita sequens propositio, in ordine 40: « Est probabilis opinio, quæ dicit, esset tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. »

(73. Oscula, tactus, et amplexus, si fiant secundum morem patriæ, causa urbanitatis, amicitie fovendæ, pacis, benevolentie, debiti obsequii, et hujusmodi, per se loquendo, excusantur a peccato, et licent. *Communis*, quia oscula, tactus, et amplexus non sunt intrinsece mali, sed indifferentes, adeoque sunt liciti, cum fiunt ob aliquem honestum finem ex assignatis, et similibus (17).

(74. Tactus, et oscula facta in partibus inhonestis, impudicis, et verendis a personis solutis, sunt peccata mortalia, quia de se sunt valde indecentia, et ad delectationem veneream tendunt, eamque valde excitant. *Communis* cum Diana part. iii, tract. 4, resolut. 225; La Croix, lib. iii, part. i, n. 905, et supracitatis. (75. Immo tactus, et oscula impudica verendorum sunt peccata mortalia etiam in illis, qui propter defectum ætatis, aut alia de causa seminare non possunt, quia ex sua natura tendunt ad pollutionem, et spiritus venereos notabiliter excitant. Tamburin., lib. vii, cap. 7, § 2; La Croix, *loc. cit.*, n. 906. Sporer ibi *cit.*, et alii.

(76. Osculari pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, item eos complecti, tangere, captando delectationem sensibilem ex mollitie

Demum si alterutra persona, vel hac delectatione afficeretur, vel in hujusmodi certo periculo per oscula poneretur; nam id ex parte utriusque videndum est, ut oscula, tactus, amplexusque ab omni prorsus culpa liberentur. Quæ quidem notanda attente sunt, ut in huiusmodi casibus peccata caveamus.

carnis teneræ, per se loquendo secluso consensu, aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. Sanchez *De matrimonio*, libr. ix, disputat. 46, n. 13; Sporer, tom. I, tract. 1, cap. 5, sect. 2; sub n. 19, et tom. III, part. iv, cap. 3, sect. 4, n. 692; La Croix, *loc. cit.*, n. 901; Jacobus Marchant, *Resolut. pastoral.*, part. i, cap. 6, qu. 6, et alii.

(77. Ancillæ teneros pueros vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes, vel aspicientes, etsi motus sensualis exurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi, aut non peccant, si ita officium exigat, aut solum peccant venialiter, si leviter et ex curiositate faciant. Si tamen id facerent cum mora, ordinarie peccarent mortaliter, ob mortale periculum consensus libidinosi. Sporer *l. c.*; La Croix, *l. cit.*, n. 902, et alii.

(78. Aspiciere animalia coeuntia, ex curiositate, vel levitate tantum, seclusa voluntaria complacentia libidinosa, est peccatum tantum veniale, quia id non multum excitare solet ad libidinem. *Communis*, teste Sporer, *cit.* n. 19, (18). (79. Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, et hujusmodi, molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare ex sola curiositate, vel levitate sine ulla impura delectatione, ordinarie est tantum peccatum veniale. Sanchez, lib. ix *De matrimonio*, disp. 46, n. 15; Sporer, *cit.* tract. 1, cap. 5, sub. n. 19, et *cit.* part. iv, cap. 3, n. 697; La Croix *loc. cit.*, n. 903, et alios citans Diana part. ii, tract. 17 resolut. 37. (80. Esset tantum mortale ita bruti alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret, ex curiositate illud videndi et ob delectationem sensibilem, quia talis fricatio pudendorum bruti facta ob sensibilem delectationem, principium ex se est impuræ libidinis. Tamburin., lib. vii *Decalog.*, cap. 8, § 2, n. 5; Sporer, *loc. cit.*, n. 697; Bonacina, et Salas ibi citati, et alii.

(81. Personæ ejusdem sexus simul nudæ existentes in balneo, in habitaculo, seu alibi, et se invicem ex curiositate aspicientes, seu ex levitate et joco tangentes, etiam in partibus verendis cum motu sensualitatis, secluso libidinoso consensu, et complacentia turpi, non peccant graviter. Sporer *loc. cit.* part. iv, c. 3, num. 693, et alii passim. (82. Peccant autem ordinarie graviter sic aspicientes, vel tangentes personas diversi sexus, aut concubitus humanos, etiam secluso affectu venereo, quia tunc est semper morale pe-

(18) Qui ex curiositate, vel levitate actus hujusmodi aspiciant, a gravi culpa liberari haud possunt, si periculo complacentie delectationis, atque pravi desiderii sese exponant. At difficile admodum est, ut hujusmodi periculum absit, ut consideranti patet. Id quoque dicendum de iis, qui ex curiositate, vel vano solatio turpia, et obscœna legant, vel canant, dum enim tantæ non sint ignorantie, vel stupiditatis hæc legentes, aut canentes, ut ad ea quæ dicunt nullimode attendant, aut ea non intelligant, vix, et ne vix quidem fieri potest, ut lectiones, et cantilenæ hujusmodi pravas cogitationes non excitent, vel prava desideria non foveant; aut saltem

periculum consensus libidinosi, et adest gravissima indecentia. Sporer, *loc. cit.*, n. 693; Busemb., lib. iii, par. i, tr. 4, cap. 2, dub. 1, num. 6, cum Sanchez, Filiucio, Laym. ibi citatis. Henno, tom. I *Trac. in Decalog.*, disp. 6, quæst. 6, artic. 3, conclus. 1, et alii.

(83. Seipsum vero aspiciere vel tangere ex curiositate, vel levitate, seclusa intentione, et complacentia turpi, ordinarie est solum peccatum veniale, quia minor est indecentia, et minis movent ad libidinem propria, quam aliena verenda. Sporer *loc. cit.*; Busambaum *loc. cit.*, n. 5, et alii passim. Immo aspiciere, vel tangere verenda proprii corporis ex naturali aliquo et non malo fine, ne quidem erit veniale, ut si quis verbi gratia, fricatione velit extinguere prurimum non venereum, cum non adest periculum pollutionis aut consensus in eam, dato quod involuntarie, et improvise obveniret Sanchez, lib. ix *De matrimo.*, disput. 44; Busembaum, *loc. cit.*, n. 5; Filiucius, tract. 30, n. 200, et alii passim.

(84. Persona soluta permittens se tangi, osculari, et hujusmodi ab alia, quando graviter peccet, vel non? *Vide* verb. FEMINA, a n. 27 ad 30, et per totum, ubi multa ad rem.

(85. Obscœna legere, inhonesta canere, turpia loqui, impudicos gestus facere, turpes comœdias spectare, litteras amatorias, et lascivas scribere, et recipere, talia audire, et similia facere; si hæc fiant cum intentione, et complacentia turpi, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, sunt peccata mortalia; si autem fiant ex curiositate, vel levitate tantum, seu ex vano solatio, sine periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, sunt solum peccata venialia. Sporer, *loc. cit.*, n. 695; Sanchez, *De matrimonio*, l. ix, disput. 46, a n. 31; Filiucius, tract. 30, quæst. 3; Busembaum, *loc. cit.*, n. 8, et alii passim.

(86. Libros, cantiones, seu tractatus obscœnos componentes, vel divulgantes, comœdias turpes exhibentes, seu representantes picturas ad libidinem incitantes facientes, seu publico exponentes, et hujusmodi peccant mortaliter, quia sunt spiritualis ruina multorum, cum et ipsi sciant, et scire debeant, plurimos inde in libidinem esse lapsuros, adeoque tot peccatorum fore coram Deo culpabiles, quot personis erunt causa ruinæ spiritualis. Busembaum, *loc. cit.* n. 19; Filiucius, *loc. cit.*, n. 7, Sporer,

in occasione, et periculo proximo non exponantur habendi pravas cogitationes, ac desideria prava. Quam ob rem non adeo facile generatum pronuntandum est, solius culpæ venialis reos esse, qui ex curiositate, vel vano solatio obscœnos libros volvant, aut turpes cantilenas canant. In choris quoque occasio, et peccandi periculum attente considerandum est; nam si a viris et mulieribus simul fiant non facile erit stabilire abesse occasionem, et peccandi periculum: quia, etsi fortasse ex parte unius desit, non deerit plerumque in altero: atque hoc satis est ut improbentur.

*loc. cit.* et alii communiter. De comœdiis vide Pignatell., tom. VIII, consult. 153, ubi tum ex sacra Scriptura, tum utroque jure communi, cum conciliis generalibus, et provincialibus, tum auctoritate sanctorum Patrum eas condemnat, plurimum invehens in earum auctores, et spectatores. Vide verb. CLERICUS, art. 4 a n. 16.

(87. Choreæ, quamvis non paucis sint plenæ periculis, de se tamen non sunt malæ, nec actus libidinis, sed communis lætitiæ; dummodo tamen fiant locis et temporibus non prohibitis, et modis licitis, scilicet sine malo fine libidinoso, sine tactibus et gestibus lascivis, aut alio periculo delectationis venereæ; sic in hoc sensu choreas non esse malas tenent Cajetanus, Silvester, Armilla, Angelus, Filliucius, Azorius, Bussembaum, *loc. cit.*, n. 9. Sporer, *loc. cit.*, n. 694; Henno, *loc. citat.*, quæst. 9., art. 5, conclus. 1, et ipso teste alii communiter. Unde quando sancti Patres eas interdum acriter reprehendunt, loquuntur de choreis turpibus, seu factis locis, et temporibus prohibitis, ut in locis sacris, et tempore divinorum officiorum aut de eorum abusu; et dum sacri canones eas interdicit, loquuntur specialiter de clericis tum sæcularibus, tum regularibus, quibus choreæ sunt interdictæ, tum Jure Communi antiquo tum novo concilii Tridentini sess. XXII, capit. 1 *De reformatione*. Vide verb. CLERICUS, art. 4, a n. 13.

(88. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi et hujusmodi, quæ sunt inter conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis, in uno, vel altero, vel pertineant ad sodomiam quamdam, inchoatam, sunt peccata mortalia. Alias non sunt nisi venalia. *Communis*.

(89. Quando autem conjuges graviter peccent, vel non, circa delectationem morosam de actu Conjugii? Vide verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 24 ad 26.

(90. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi quæ fiunt inter sponso cum delectatione sensibili venereæ morosa, directe voluntaria, sunt peccata mortalia. Alias non sunt nisi venalia, et si pudice fiant, ex recto fine, secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. *Communis*.

## M

### MACELLUM.

#### SUMMARIUM.

1. Usus Macelli separati pro ecclesiasticis est permissus. — 2. Episcopi, et alii Prælati inferiores ad evitandas impositiones carnis, etc., constituent Macellum, et alias apothecas separatas pro ecclesiasticis,

1. Usus Macelli separati pro ecclesiasticis est permissus: et contra impediens tam directe, quam indirecte, procedendum, ad Censuras: Sac. cong. Immunit. in *Sulmo-*

(91. Quando autem sponsi graviter peccent, vel non circa delectationem morosam de copula futura et de dictis tactibus, osculis, amplexibus, etc. Vide verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 27, ad 29 et n. 32.

(92. Viduæ quando peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula præterita? Vide verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 30 ad 32.

(93. Quando feminæ graviter peccent, vel non in ornamentis, et similibus provocantibus ad lasciviam? Vide verb. FEMINA, a n. 14.

(94. Quando sint peccata gravia, vel non, cogitationes impuræ, et delectationes morosæ, quæ ex hactenus recensitis oriri solent? Vid. verb. DELECTATIO MOROSA, per tot.

(95. In delectatione venerea deliberata, seu in re, vel materia luxuriæ in se directe, et deliberate volitæ non datur parvitas materiæ excusans a mortali. Est in re communis: et fuit approbata a summis Pontificibus Clemente VIII et Paulo V qui præceperunt denunciari inquisitoribus eos qui docerent amplexus et oscula libidinoso non esse mortalia, licet sola delectatio venerea in eis placeret sine ordine ad copulam, ut referunt La Croix lib. III, par. 1, num. 910; Sanchez, in *Decalog.*, cap. 6, num. 12; Reiffenstuel., *Theologia moral.*, tract. 9, dist. 4, quæst. 6, n. 85; Castropalao, tom. 1, tract. 2, disp. 2, punct. 10, n. 4; Diana par. 5, tract. 5, resolut. 5; Verricell. tract. 4, quæst. 16, n. 11; et alii passim, qui concludunt oppositam sententiam esse improbabilem, falsam, erroneam, temerariam, periculosam, et scandalosam, et aliqui apud Mendosam disput. 5, n. 4, putant esse damnatam. Et concordat propositio 40 inter alias damnata ab Alexandro VII die decima octava Martii, millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, jam relata supra sub num. 10 et 72: *Est probabilis opinio, que dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem sensibilem, que ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis; unde hæc sententia, tanquam jam certissima, non indiget ulteriori probatione.*

ad n. 4. — 5. Nihil omnino est innovandum contra ecclesiasticos, et eorum familias super exemptione ipsis competente a gabella cujusvis generis carnis, etc. ad n. 6. — 7. Prohibenda est Ecclesiasticis macellatio carnis porcine, nisi pro usu propriarum domorum, monasteriorum, etc., alia ad rem ad n. 9.

nen. 9 Septemb. 1631, lib. II *Decret. Paul.*, p. 90, in *Baren.* 10 Septemb. 1642, lib. III *Decret. Paul.*, 182, et in *Ortonen.*, 29 Maii 1646, ibi pag. 282.

(2. Episcopi, et alii prælati inferiores ad evitandas impositiones carnis, et aliorum comestibilium constituent macellum, et alias apothecas separatas pro ecclesiasticis, ita ut eorum immunitati in aliquo non præjudicetur. Sacra congreg. Immunit. in *Mulinen. et Regien.*, 12 Februarii 1648, lib. IV *Decret. Paul.*, pag. 6.

(3. Cum civitas imposuerit pretium immodicum carnibus, ecclesiastici tanquam gravati ex hoc pretio aperuerunt macellum, ubi carnes pro ecclesiasticis minori pretio venduntur; verum cum civitas supplicasset dictum Macellum claudi, sacra congreg. respondit: Licere ecclesiasticis aperire macellum. Sacra congreg. Immunit. in *Spoletana* 20 Dec. 1702, lib. III *Decr. Vallem.*, pag. 464.

(4. Attamen attenta assecuratione exemptionis ecclesiasticorum, aliquando deponitur macellum de consensu eorumdem, juxta mentem Sanctissimi, et sacre congreg. Sacra Congreg. Immunit. in *Beneventana* 19 Novembr. 1641, lib. III *Decret. Paul.*, pag. 159.

(5. Nihil omnino est innovandum contra ecclesiasticos et eorum familias super exemptione ipsis competente a gabella cujusvis generis carnis; sed sunt manutenendi in dicta exemptione, aut quasi possessione respective; et quoad carnes, a die aperitionis macelli civitatis, tam emptio animalium, quam pretium carniū fieri debet cum assistentia, et consensu ecclesiasticorum per capitulum, et clerum deputandorum: et Sanctissimus mandavit omnino ita observari. Sac. Congreg. Immunit. in *Beneventana*

### MAGI, QUI CHRISTUM ADORAVERUNT IN CUNABULIS.

#### SUMMARIUM.

1. Magi, qui Christum adoraverunt, fuerunt tres. — 2. Magos reges fuisse, id est dynastas, est probabilior opinio. — 3. Magi non ab arte magica, aut astrologia judicari, quam professi fuerint, ut aliqui putant, sic sunt appellati; sed quia erant philoso-

(1. Magi, qui Christum adoraverunt, tres fuerunt, ut expresse tradit S. Leo Papa sermon. 30 in *Epiphan.*, cap. 1, ibi: «Tribus igitur magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit.» Et sermon. 42, de *Epiphan.*, cap. 5, ibi: «Tres magos... stella perduxit» et pluribus aliis ad id relictis, sic tenet recepta in Ecclesia sententia. Tres isti magi vocantur Melchior, Balthasar, et Gaspar, ut de communi testatur Bollandus ad diem primam Januarii. pag. 8 ad diem 6, pag. 323, et ad diem undecimam, pag. 664. Eorum corpora fuerunt Constantinopolim allata, inde ab Eustorgio episcopo Mediolanum asportata, et in basilica ab eodem episcopo ædificata, collata, et a fidelibus ibi venerata per sexcentos septuaginta annos; et tandem sub Frederico Ænobardo illinc amota, et ab episcopo Reinoldo Coloniae asportata. Sic apud cardin. Lambertin. n. 43, referunt Galesinius, in *Not. ad Martyrolog.*, pag. 13, et Saxus in *Histor. corporum SS. Gervasii et Protastii*, n. 38.

1 Martii 1674, libr. *Decret. Altov.*, pag. 904.

(6. Quamvis ecclesiastici sint comprehensi, attento chirographo sanctissimi, sub datio carnis, attamen non possunt cogi ad emendam carnem in unico macello. Sac. Cong. Immunit. in *Anconitana* 22 Septemb. 1634, lib. V *Decr. Paul.*, pag. 51, et in *Perusina* 21 Januarii 1673, lib. I *decr. Altov.* pag. 673.

(7. Prohibenda est ecclesiasticis macellatio carnis porcine, nisi pro usu propriarum domorum, monasteriorum et inserventium, nec non pro usibus propriis non provenientibus a mercatura. Sac. Cong. Immunit. in *Florentina* 20 Januar. 1637, lib. III *Decr. Paul.*, pag. 22.

(8. Quod dubium, an archiepiscopus Rossanen. et virgines monasterii Sanctæ Claræ possint emere belluas suas, et illas macellari facere in taberna mensæ episcopalis, easque vendere pretio præfixo a conductore communitatis cum exemptione a gabellis, ad quas in eo casu tenentur laici? Sacra congregatio pronuntiavit, non competere exemptionem a gabellis, nisi pro animalibus existentibus in bonis mensæ episcopalis, et monasterii virginum. Sac. congreg. Immunit. in *Rossanen.* 23 Decem. 1692, lib. I *Decr. Vallem.*, pag. 13.

(9. Minister archiepiscopi, si vult gaudere privilegio fori, non exerceat artem macelli, sin munus archiepiscopus removeat litteras patentes. Sacra congreg. Immunit. in *Brundusina* 14 Novembr. 1662, lib. *Decr. Rocci*, pag. 436.

phi astrorum scientia periti. — 4. Quid stella illa fuerit, ab ipsis visa, variant dd. — 5. Magos sexta die Januarii Bethleem venisse Christum adoratos, communis sententia est. — 6. An eis eodem anno, et die tria illa miracula contigerint, quæ in die Epiphaniæ ab Ecclesia recoluntur, etc., ibi.

(2. Magos reges fuisse, id est dynastas, est probabilior opinio, ut inter alios tradunt Baronius ad annum Christi 1, n. 50, ibi: «Hos igitur fuisse reges dixerimus usitato more divinæ Scripturæ, quæ cujusque oppidi dominum, regem appellare consuevit, ut patet de quinque regibus, quos Abraham armatis suis vernaculis debellavit.» Natal. Alexander *Hist. eccl.*, sæcul. I, cap. 1, art. 4, ibi: «Viros tamen potentes et divites toparchas forte, vel dynastas fuisse, probabile est.» Grefferus tom. V, edit. Ratisbonen. lib. I *De festis*, cap. 30, ibi: «Adde quod regium nomen magnam latitudinem habet, etc. Neque enim necesse est ut omnes qui vel fuere, vel appellantur reges, sint tanti quanti sunt rex Hispaniæ et Galliæ. Favet Scripturæ phrasis, maxime in libris Josue, ubi regis nomen illis tribuitur, qui hodie vix principis nomenclaturam tueri possent.» \* 1º Harduinus, in suo ad secundum Matthæi caput commentario, magos quidem negat fuisse reges. In marmoreis sarcophagis apud Bottarium t. I operis delle